

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Auaricia au
cum fonte primo

Auaricia est
per quam in animis hominum deificatur pecunia,
nummo diuine uenerationis exhibetur auctoritas,

proh pudor; metallorum onera largiuntur
honores ad metalli pondera ponderatos.
Iam non Cesar sed nummus est omnia
qui ab indiuidualibus usque ad generalissima
honores singulos tanquam mediator excurrit.
Iam nummus patriarcha noster efficitur,
qui quosdam in archiepiscopatus intronizat apicem,
quosdam episcopalis fastigii erigit in honorem,
hos in archidiaconalibus adaptans officiiis,
alios aliarum pedestrium dignitatum
coequans negociiis.

Alanus libro de conquestione nature.

Haec est auaricia,
per quam in animis hominum deificatur pecunia,
nummo diuine uenerationis exhibetur auctoritas.
Per quam, ubi nummus loquitur,
Tulliani eloquii tuba raucescit; ubi nummus militat,
Hectoree milicie fulgura conticent;
ubi pugnat pecunia, uirtus expugnatur Herculea.
Si quis enim armatur pecunia tanquam loricis
argenteis, torrentis impetum Tulliani,
fulgur incursus Hectorei, robur uirtutis Herculee,
versipelles Vlixee calliditas floccipendit argutias.
In tantum etenim habendi fames incanduit,
ut dialetice muta sit subtilitas,
retorice languescat ciuilitas.
Vbi nummorum perorat pluralitas,
iam Tullius sui monetam uendit eloquii,
sui pudoris monilia in auri precium conmutat
Lucrecia, Penelope sue mercenaria
castitatis pudorem deponit in pretio.
Ypolitus etiam, si nummi preces audiat susurrantis,
sue nouerce non uult precibus nouercari.
Nam si in aure iudicis susurret pecunia,
Orphei lira, carmen Amphionis,
musa Virgilii, uoce pecunie suffocatur.
Iam diues diuiciarum naufragans
in profundo ydropice sitis incendiis tantalizat.
Pauper etiam, quamuis materialem auaritiam
realiter exercere non ualeat,
intus tamen archetypam retinet parcitatem.
Proh pudor, metallorum onera largiuntur
honores ad metalli pondera ponderatos.
Iam non Cesar sed nummus est omnia
qui ab indiuidualibus usque ad generalissima
honores singulos tanquam mediator excurrit.
Nam nummus patriarcha noster existit,
qui quosdam archiepiscopatus intronizat in apicem,
quosdam episcopalis fastigii erigit in honorem,
hos archidiaconalibus adaptans officiiis,
alios aliarum pedestrium dignitatum
coequans negociiis.

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 12 (N.M.
Häring ed., pp.855-6, ll.89-112).